



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Antiochenvm In Causa Schismatis Antiocheni, Svb Damaso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
374.

postulare non intermitteret, seque populus peccati illius, quo specie quadam & simulatione effectum esse non dubitabat, reum clamaret, totamque adumbrati criminis poenam in se reciperet, sibi-que imprecaretur, omni prorsus ille consilio destitutus, in sola fuga spem ponit. Arreptam fugam Dei consilio ac voluntate mirabili modo impediri videns, maximo cum gaudio Valentiniani imperatoris & Probi praefecti, qui ipsi Mediolanum proficiscenti dixerat: *Vade, gere te non ut praefectus, sed ut episcopus*; oneri se libenter submitit. Ad hos igitur populi tumultus sedandos & componendos, ab ecclesia non immerito concessum fuit, ut ad eorum instantiam ordinaretur episcopus, qui alioqui secundum huius, aliorumve Canonum constitutionem, ab episcopali munere arceri ac prohiberi debuisset. Vide notas Canonis 7. apost. 79. Item Can. 2. in Conc. Nicæno.

CONCILIVM ANTIOCHENVM

IN CAUSA SCHISMATIS ANTIOCHENI,
SVB DAMASO.

NOTÆ.

ANNO
CHRISTI
377.

^a *Concilium Antiochenum.*] Gregorius Nyssenus in epistola ad Olympium monachum, de vita obituque S. Macrinæ sororis, scribit, orthodoxos orientales episcopos, per edictum Valentis ab exilio relaxatos, suisque ecclesiis sanctione Gratiani imperatoris restitutos, nono mense post obitum S. Basilii Antiochiæ convenisse, ut prostratae orientali ecclesiæ paribus votis ac suffragiis consulere-nt & auxilium ferrent. *Post hanc aëturam* (nempe obitus S. Basilii episcopi Cæsareæ Cappadociæ) *nonus mensis, inquit, aut paulo amplius, cum episcoporum Concilium indictum est Antiochiæ, cui nos item interfuimus.* Cum igitur auctoritate eiusdem Gregorii & Hieronymi certum sit Basilium in exordio anni 378. ipsis nimirum Kalend. Ianuarii vita defunctum esse, hoc Antiochenum Concilium anno præcedente mense septembri celebratum fuisse, necessario est concedendum. Vide Baron. num. 35.

Tempus
Concilii.

Basilii obitus
quando
contigerit.

^b *In causa schismatis Antiocheni.*] Antiochena ecclesia, a tempore obitus Iuliani Apostatae, diro ac periculoso admodum schismate exagitata fuit. Principio enim tres episcopi erant in vna ciuitate, nempe Meletius, ab Arianis; Euzoius, in locum Meletii depositi; & Paulinus a Lucifero Calaritano episcopo sedis apostolicæ legato institutus. Cum Meletio communicabant catholici illi dumtaxat, qui ab Arianis baptizati fuerant. Alii vero catholici Eustathiani, qui fidem catholicam perpetuo seruarant, quod Meletius ab episcopis Arianis episcopus creatus fuerat, quodque eiusdem fautores catholici ab Arianis baptizati essent, eum su-

Antiochena
ecclesia
schismati-
bus exagita-
tur.

Concil. Tom. 3.

R r ij

gientes, cum Paulino a Lucifero Calaritano episcopo, & legato sedis apostolicæ instituto, ideo quod is nulla vnquam vel tenui suspitione polluta fidei catholicæ laborasset, sed eam potius magna laude inter tot tantaque discrimina propugnasset, communicarunt. Aliarum vero ecclesiarum episcopi, alii Meletio, alii Paulino fauebant. Illius electionem Basilius, huius vero institutionem, post Alexandrinum Concilium sub Liberio habitum, approbavit Damasus, eamque causæ & electioni Meletianæ prætulit. Cum igitur hoc schismate Antiochena ecclesia per annos quindecim exagitata, vniuersam prope ecclesiam in periculum schismatis induxisset, iamque Euzoio Ariano per mortem sublato, ea, quæ maioris erat periculi, catholicorum dumtaxat discordia restaret, atque neutra pars alteri cederet; hac Synodo indicta, illud remedium est excogitatum, vt inter vtramque partem transigeretur hac ratione: vt cum alteruter, Paulinus vel Meletius, prior ex hac vita decederet, qui superstes esset, in locum demortui, nullo alio creato episcopo successore, solus illius ecclesiæ antistes remaneret. Ad quod præstandum iureiurando adegerunt sex primores ecclesiæ illius presbyteros, qui propinquiores ad eum gradum consequendum esse viderentur. Quod cum vtrique parti placuisset, schisma Antiochenæ ecclesiæ sublatum fuit. Ita Socrates lib. 5. cap. 5. Sozomenus lib. 5. cap. 3. Theodoretus post obitum Meletii, Flauiani schismatici, qui contra præstitum iuramentum in locum defuncti susceptus erat, partes sectatus, in gratiam illius res in hoc Concilio gestas, aliter quam se habent, narravit, & contra aduersarium eius Paulinum male congesit. Cuius rei manifestum satis indicium præbet illa epistola synodalis quam Damasus ad Paulinum scripsit, in qua ille pro *Paulino Antiocheno* scripsit *Paulinum Thessalonicensem*, vt constat ex iis quæ diximus supra in notis prædictæ synodalis epistolæ ad Concil. Rom. III. In hoc eodem Concilio rectam fidei regulam recognitam fuisse, ac stabilitam, apparet ex epist. synodica Conc. Constant. infra. Præterea etiam ad visitandas orientis ecclesias, easque subleuandas, & in fide catholica confirmandas, decreta sunt complures legationes, illique qui præclarioris nominis Synodo intererant, electi sunt, Gregorius Nyssenus, Eusebius Samosatenus, Gregorius Nazianzenus, atque Meletius Antiochenus; qui ad ruinas ecclesiæ restaurandas profecti, amotis Arianis, catholicos vbique locorum substituerunt. Plura de legationibus eorumdem vide apud Gregorium Nyssenum de peregrin. Hieron. Theodor. lib. 5. cap. 4. & in hist. sanct. patrum cap. 3. Gregor. Nazianz. carm. de episc. &c. Baron. ann. 374. num. 35. vsque ad 55.

Qua ratione schisma Antiochenæ ecclesiæ sublatum fuerit.

Theodor. res hoc Concilio gestas falso congerit.

Fidei regula in hac Synodo.